

nisi fiat integra solutio de predictis, et si infra quindecim dies subsequentes dicta bona non delivrentur vel ipsi condempnati non satisfacerent de predictis condemnationibus, tunc elapsis dictis quindecim diebus dominium Tergesti debeat et teneatur ipsos condempnatos unum vel plures ponere in carceribus comunis, in quibus¹⁾ stare debeant suis expensis donec fiet integra solutio de predictis, et nichilominus bona ipsorum vendantur per procuratorem comunis pro solutione predictarum condemnationum; et si ipsi condempnati exirent de carceribus comunis ante solutionem ipsarum condemnationum, quod nichilominus bona ipsorum vendantur per ipsum procuratorem et delivrentur plus offerenti, que vero bona nullo modo delivari possint ipsi procuratori nec alteri persone nomine comunis Tergesti recipienti. ¶ Et si qua persona condempnata fuerit a quadraginta den. inferius, quod pro ipsis condemnationibus vel condemnatione ponere non possit de bonis suis in manibus procuratoris ad vendendum, nec pro ipsa condemnatione aliqua venditio aliquorum bonorum ipsius condempnati fieri debeat vel possit. ¶ Preterea volumus quod, si aliqua persona comiserit aliquod malefictum, quod bona eius sint obligata et satisfatiant pro ipso malefictio, et si aliqua // scriptura vel scripture alicuius condemnationis malefictorum reperirentur incisae vel cancellatae, sint et habeantur inefficaes et nullius vallis et momenti, et ex ipsis per dominium Tergesti procedi non possit.

Cap. CVIII. De civibus Tergesti pro aliquo malefictio non bullandis.

Statuimus quod nullus civis Tergesti modo aliquo bullari debeat neque possit per dominium Tergesti pro aliquo malefictio per ipsum comisso. ¶ Excepto quam pro furto et robaria.

¹⁾ Aggiunta marginale.